



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

VII. De Potestate Ecclesiastica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

verus cultus Dei, non est in cœlibatu aut mendicitate, aut veste sordida, Ac populus concipit multas perniciosas opiniones, ex illis falsis præconijs vitæ Monasticæ. Audit sine modo laudari cœlibatum, ideo cum offensione conscientiæ, versatur in coniugio. Audit solos mendicos esse perfectos, ideo cum offensione conscientiæ, retinet possessiones, negotiatur. Audit consilium Euangelicum esse, de non vindicando, ideo alij in priuata vita non verentur vlcifci, audiunt enim consilium esse non præceptum. Alij, omnes magistratus, & ciuilia officia, iudicant indigna esse Christianis.

Leguntur exempla hominum qui deserto coniugio, deserto reipub. administratione, abdiderunt se in Monasteria. Id vocabant fugere ex mundo, & querere vitæ genus, quod Deo magis placere nec videbant, Deo seruendum esse in illis mandatis, quæ ipse tradidit, non in mandatis, quæ sunt excogitata ab hominibus. Bonum & perfectum vitæ genus est, quod habet mādatum Dei. De his rebus necesse est admonere homines. Et ante hæc tempora reprehendit Gerson errorem Monachorum de perfectione, & testatur suis temporibus nouam vocem fuisse, quod vita Monastica sit status perfectionis.

Tam multæ impiæ opiniones hærent in votis, quod mereantur remissionem peccatorum & iustificationē, quod sint perfectio Christiana, quod seruent consilia & præcepta, quod habeant opera supererogationis, Hæc omnia, cum sint falsa & inania, faciunt vota irrita.

VII.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

MAGNÆ disputationes fuerunt, de potestate Episcoporum, in quibus nonnulli incommode commiscuerunt potestatem Ecclesiasticam, & potestatem gladij. Et ex hac confusione, maxima bella, maximi motus extiterunt, dum Pontifices freti potestate clauium, non solum novos cultus instituerunt, reseruatione casuum, violentis excommunicationibus conscientias onerauerunt, sed etiam regna mundi transferre, & Imperatoribus adimere imperium, conati sunt. Hæc vitia multo ante reprehenderunt in Ecclesia homines pijs & eruditi. Itaq; nostri ad consolandas conscientias, coacti sunt ostendere discrimen Ecclesiasticæ potestatis, & potestatis gladij, & docuerunt, vtrinq; propter mandatum Dei religiose venerandam, & honore afficiendam esse, tanquam summa Dei beneficia in terris.

Sic autem sentiunt, potestatem clauium, seu potestatem Episcoporum, iuxta Euangelium, potestatem esse seu mandatum Dei, predicandi Euangelij, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit Apo-

Apostolos: Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta sunt, Marci 16. Ite, praedicate Evangelium omni creaturae, &c.

Hæc potestas tantum exercetur docendo, seu prædicando Evangelium, & porrigendo Sacramenta, vel multis vel singulis, iuxta vocationem, quia conceduntur non res corporales, sed res æternæ, iusticia æterna, Spiritus sanctus, vita æterna: Hæc non possunt contingere, nisi per ministerium verbi & Sacramentorum, sicut Paulus dicit, Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Itaque cum potestas Ecclesiastica, concedat res æternas, & tantum exercetur per ministerium verbi, non impedit politicam administrationem, sicut ars canendi nihil impedit politicam administrationem. Nam politica administratio versatur circa alias res quam Evangelium. Magistratus defendit non mentes, sed corpora & res corporales, adversus manifestas iniurias, & coercet homines gladio, & corporalibus pœnis, ut iusticiam civilem & pacem retineat.

Non igitur commiscendæ sunt potestates, Ecclesiastica & civilis. Ecclesiastica suum mandatum habet, Evangelij docendi & administrandi Sacramenta: Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges Magistratum, non tollat legitimam obædientiam, non impediatur iudicia de vllis civilibus ordinationibus aut contractibus, non præscribat leges Magistratibus de forma Reipublicæ, sicut dicit Christus, Regnum meum non est de hoc mundo. Item, Quis constituit me iudicem, aut divisorem super vos? Et Paulus ait Philipp. 3. Nostra politia in cælis est. 2. Corinth. 10. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destruendas cogitationes, &c. Ad hunc modum discernunt nostri, utriusque potestatis officia, & iubent utranque honore afficere, & agnoscere, utranque Dei donum & beneficium esse.

Si quam habent Episcopi potestatem gladij, hanc non habent, ut Episcopi ex mandato Evangelij, sed iure humano donatam à Regibus & Imperatoribus, ad administrationem civilem suorum honorum. Hæc interim alia functio est, quam ministerium Evangelij.

Cum igitur de Iurisdictione Episcoporum quaritur, discerni debet imperium ab Ecclesiastica Iurisdictione. Porro secundum Evangelium, seu ut loquuntur, de iure diuino, nulla Iurdictio competit Episcopis, ut Episcopis, hoc est, his quibus est commissum ministerium verbi & Sacramentorum, nisi remittere peccata. Item, cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Evangelio dissentientem rejicere, & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ, sine vi humana, sed verbo. Hic necessario & de iure

diuino, debent (eis) Ecclesiæ, præstare obœdientiam, iuxta illud: Qui vos audit, me audit.

Verum cum aliquid contra Euangelium docent, aut statuunt, tunc habent Ecclesiæ mandatum Dei, quod obœdientiam prohibet, Matth. 7. Cauete à Pseudoprophetis. Galat. 1. Si angelus de celo aliud Euangelium euangelizauerit, anathema sit. 2. Corinth. 13. Non possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate. Item, Data est nobis potestas ad œdificationem, non ad destructionem. Sic & Canones præcipiunt 2. quasi 7. Cap. Sacerdotes, & Cap. Oues. Et Augustinus contra Perilliani epistolam inquit: Nec catholicis Episcopis consentiendum est, scubi forte falluntur, aut contra Canonice Dei scripturas aliquid sentiunt.

Si quàm habent aliam vel potestatem, vel Iurisdictionem, in cognoscendis certis causis, videlicet matrimonij, aut decimarum, &c. hanc habent humano iure. Vbi cessantibus ordinarijs, cognoscuntur Principes vel inuiti, suis subditis ius dicere, vt pax retineatur.

Præter hæc disputatur, Vtrum Episcopi seu Pastores, habeant ius instituendi ceremonias in Ecclesia, & leges de cibis, ferijs, gradibus ministrorum, seu ordinibus, &c. condendi. Hoc ius qui tribuunt Episcopis, allegant testimonium, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Allegant etiam exemplum Apostolorum, qui prohibuerunt abstinere à sanguine, & suffocato. Allegant sabbatum mutatum in diem Dominicum, contra Decalogum, vt videtur. Nec vllum exemplum magis iactatur, quam mutatio Sabbati. Magnam contendunt Ecclesiæ potestatem esse, quod dispensauerit de præcepto Decalogi.

Quæ in nostra editione, huic Articulo annexa, sequuntur, reperimus alibi exposita esse his verbis.

¶ SED de hac quæstione nostri sic docent, quod Episcopi non habent potestatem statuendi aliquid contra Euangelium, vt supra ostensum est, Docent idem Canones 9. Distin. Porro contra scripturam est, traditiones condere aut exigere, vt per eam obseruationem mereamur remissionem peccatorum & iustificationem, & satis faciamus pro peccatis. Læditur enim gloria meriti Christi, cum talibus obseruationibus conamur mereri remissionem peccatorum, & iustificationem, Constat autem propter hanc persuasionem, in Ecclesia pene in infinitum creuisse traditiones, oppressa interim doctrina de fide & iusticia fidei, quia subinde plures ferie factæ sunt, ieiunia indicta, ceremoniæ nouæ, noui honores sanctorum instituti sunt, quia arbitrabantur se autores talium rerum, his operibus mereri remissionem

tionem peccatorum & iustificationem . Sic olim creuerunt Canones penitentiales , quorum adhuc in satisfactionibus vestigia quædam videmus .

Item pleriq; scriptores fingunt , in nouo Testamento oportere cultum similem esse Leuitico , cuius ordinationem commiserit Deus Apostolis & Episcopis . Et videntur scriptores exemplo legis Mosai- cæ decipi , quasi iusticia noui Testamenti sit externa obseruatio cer- torum rituum , sicut iusticia legis , erat externa obseruatio certorum rituum . Sicut igitur in lege peccatum erat edere suillam carnem , &c . Ita in nouo Testamento collocant peccatum in cibis , in diebus , in vestitu , & similibus rebus . Et existimant sine his rebus , iusticiam noui Testamenti non posse existere . Hinc sunt illa onera , quod certi cibi polluant conscientiam , quod horas Canonicas omittere sit mor- tale peccatum , quod ieiunia mereantur remissionem peccatorum , quod sint necessaria ad iusticiam noui Testamenti , quod peccatum in casu reseruato non possit remitti , nisi accesserit autoritas reseruati- tis , cum quidem ipsi Canones tantum de reseruatione pœnæ Cano- nicæ loquantur , non de reseruatione culpæ .

Vnde habent ius Episcopi has traditiones imponendi Eccle- sijs , ad grauandas conscientias ? Extant enim clara testimonia , quæ prohibent condere tales traditiones , vel ad promerendam remissio- nem peccatorum , vel tanquam necessarias ad iusticiam noui Testa- menti , aut ad salutem .

Paulus Coloss. 2. Nemo vos iudicet in cibo , potu , parte diei festi , nouilunio aut sabbatis . Item , si mortui estis cum Christo , ab elementis mundi , quare tanquam viuentes in mundo , decreta facitis ? Non attingas , non gustes , non contrectes , quæ omnia pereunt vsu , & sunt mandata & doctrinæ hominum , quæ habent speciem sapientiæ . Item ad Titum aperte prohibet traditiones , Non attendentes Iudai- cis fabulis , & mandatis hominum auersantium veritatem . Et Chris- tus Matth. 15 . inquit de his qui exigunt traditiones : Sinite illos , cæci sunt , & duces cæcorum . Et improbat tales cultus . Omnis plan- tatio , quam non plantauit pater meus cœlestis , eradicabitur .

Si ius habent Episcopi onerandi Ecclesias infinitis traditio- nibus , & illaqueandi conscientias , cur toties prohibet scriptura con- dere & audire traditiones ? cur vocat eas doctrinas dæmoniorum ? Num frustra hæc præmonuit Spiritus sanctus ? Relinquitur igitur , cum ordinationes institutæ tanquam necessariæ , aut cum opinione promerendæ remissionis peccatorum , pugnent cum Euangelio , quod non liceat vllis Episcopis tales cultus instituere aut exigere . Necesse est enim in Ecclesijs retineri doctrinam , de libertate Christia- na , quod non sit necessaria seruitus legis ad iustificationem , sicut in

F Galatis

Galatis scriptum est, Nolite irerum iugo seruitutis subijci. Necessè est retineri præcipuum Evangelij locum, quod remissionem peccatorum & iustificationem per fidem in Christum gratis consequamur, non propter certas obseruationes, aut propter cultus ab hominibus institutos.

Quid igitur sentiendum est de die Dominico, & similibus ritibus templorum? Ad hæc respondent, quod liceat Episcopis seu pastoribus facere ordinationes, vt res ordine gerantur in Ecclesia, non vt per illas mereamur remissionem peccatorum, aut satisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conscientia, vt iudicent esse necessarios cultus, ac sentiant se peccare, cum sine offensione aliorum violant. Sic Paulus ordinat, vt in congregatione mulieres velent capita, vt ordine audiantur in Ecclesia interpretes, &c.

Tales ordinationes, conuenit Ecclesiis propter caritatem & tranquillitatem seruare, eatenus, ne alius alium offendat, vt ordine & sine tumultu omnia fiant in Ecclesijs. Verum ita, ne conscientia onerentur, vt ducant res esse necessarias ad salutem, ac iudicent se peccare, cum violant eas sine aliorum offensione, sicut nemo dixerit peccare mulierem, quæ in publicum non velato capite præcedit, sine offensione hominum.

Talis est obseruatio diei Dominici, Paschatis, Pentecostes, & similibus feriarum & rituum. Nam qui iudicant Ecclesiæ autoritate, pro Sabbato institutam esse diei Dominici obseruationem, tanquam necessariam, longe errant. Scriptura concedit, vt obseruatio Sabbati nunc sit libera. Docet enim ceremonias Mosaicæ, post reuelatum Euangelium non necessarias esse. Et tamen quia opus erat, constituere certum diem, vt sciret populus quando conuenire deberet, apparet Ecclesiæ ei rei destinasse diem Dominicum, qui ob hanc quoq; causam videtur magis placuisse, vt haberent homines exemplum Christianæ libertatis, & scirent, nec Sabbati nec alreius diei obseruationem necessariam esse.

Extant prodigiosa disputationes de mutatione legis, de ceremonijs nouæ legis, de mutatione Sabbati, quæ omnes oræ sunt ex falsa persuasione, quod oporteat in Ecclesia cultum esse similem Leuitico. Et quod Christus commiserit Apostolis & Episcopis excogitare nouas ceremonias, quæ sint ad salutem necessariae. Hi errores serpsent in Ecclesiam, cum iusticia fidei non satis clare doceretur. Aliqui disputant diei Dominici obseruationem non quidem iuris diuini esse, sed quasi iuris diuini, præscribunt de ferijs, quatenus liceat operari. Huiusmodi disputationes quid sunt aliud, nisi laquei conscientiarum? Quamquam enim conentur epijkizare traditiones, tamen nunquam potest æquitas deprehendi, donec manet opinio

opinio necessitatis, quam manere necesse est, ubi ignoratur iusticia
fidei, & libertas Christiana.

Apostoli iusserunt abstinere à sanguine, quis nunc obseruat?
neq; tamen peccant, qui non obseruant, quia ne ipsi quidem Aposto-
li voluerunt onerare conscientias tali seruitute, sed ad tempus pro-
hibuerunt propter scandalum. Est enim perpetua voluntas Euange-
lij consideranda in decreto. Vix vlli Canones seruantur accurate, &
multi quotidie exoleseunt apud illos etiam, qui diligentissime de-
fendunt traditiones. Nec potest conscientijs consuli, nisi hæc æqui-
tas seruetur, vt sciamus eos sine opinione necessitatis seruari, nec læ-
di conscientias, etiamsi traditiones exoleseant.

Facile autem possent Episcopi legitimam obædientiam retine-
re, si non vrgerent seruare traditiones, quæ bona conscientia seruari
non possunt. Nunc imperant cœlibatum, nullos recipiunt, nisi iurent
se puram Euangelij doctrinam nolle docere. Non petunt Ecclesiæ,
vt Episcopi honoris sui iactura sarciant concordiam, quod tamen de-
cebat bonos pastores facere. Tantum petunt vt iniusta onera remit-
tant, quæ noua sunt, & præter consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ
recepta. Fortassis initio quædam constitutiones habuerunt proba-
biles causas, quæ tamen posterioribus temporibus non congruunt.
Apparet etiam quasdam errore receptas esse, quare Pontificiæ ele-
mentia esset, illas nunc mitigare, quia talis mutatio non labefacit
Ecclesiæ vnitatem. Multæ enim traditiones humanæ, tempore mu-
tate sunt, vt ostendunt ipsi Canones. Quod si non potest impetrari,
vt relaxentur obseruationes, quæ sine peccato non possunt præstari,
oportet nos regulam Apostolicam sequi, quæ præcipit, Deo magis
obædire quam hominibus. Petrus vetat Episcopos dominari, & Ec-
clesijs imperare. Nunc non id agitur, vt dominatio eripiat Episcopis,
sed hoc vnum petitur, vt patiantur Euangelium pure doceri, &
relaxent paucas quasdam obseruationes, quæ sine peccato seruari
non possunt. Quod si nihil remiserint, ipsi viderint, quomodo Deo
rationem redditori sint, quod pertinacia sua causam schismati
præbent.)

Sequitur expositio nostræ editionis.

Quoties autem de hoc loco disserimus, statim clamitant ad-
uersarij, labefactata auctoritate Episcoporum, fieri & ταξις non posse
mores populi gubernari, non coërceri vulgi petulantiam, de-
niq; sequi Cyclopicam vitam, qualis ab Euripide in hoc versu de-
scribitur: Νομάδες ἀκέρει δ' οὐδέ μ' οὐδέ τις οὐδέ τις οὐδέ τις. Querun-
tur & abrogatis aliquibus legibus, vulgus exemplum transferre ad

omnes leges, & excusis vinculis ac frænis disciplinæ, sumere sibi infinitam licentiam, quæ scandala innumera, distractiones Principum, dissipationes Ecclesiarum, seditiones, bella, & vastitates pariat. Deniq; ostendunt, quam sit inimica generi humano ἀναρχία, & ex hoc fonte, quantum in omnem vitam, vitiorum & calamitatum exundet.

Monent igitur ad hæc tanta mala vitanda, stabiliendam esse auctoritatem Episcoporum, retinendas leges vstitas, in quibus etiam qua sint incommoda, hæc docent condonanda esse communi hominum imbecillitati, & propter tranquillitatem dissimulanda, præsertim cum nullus constitui status possit, qui prorsus sit sine vitio. Allegant huc vetus illud, τὸ κακὸν εὖ κείμενον μὴ κινητέον, Commemorant exempla, motis legibus, aut mutata politiæ forma in civitate Attica, Spartana, Romana, & alijs, quæ clades secute sint. Romæ, dissensiones Consulium & Tribunorum, quoties ciuilia bella excitarunt?

Quamquam autem hæc Senatoriæ conciones admodum plausibiles sunt, & multorum animos aduersus nos incendunt, tamen veris & honestissimis argumentis refutari possunt. Primum igitur petimus, vt illi accusatores nostri, historiam Ecclesiæ omnium temporum intueantur, Nec putent summos viros Prophetas & Apostolos fuisse sine sensu communi, ac adeo ferreos, vt tranquillitatem patriæ non amarint, aut adeo immanes, vt disciplinam, leges, Regni εὐταξίαν non maximi fecerint. Hi vero sapientissimi, optimi & moderatissimi viri, Esaias, Ionas, Ieremias, Baptista, Christus, Petrus, Iacobus, Paulus, & intelligebant quantum bonum sit ciuilibus concordia, & amabant suos, amabant patriam, magno cum dolore spectabant dissidia, & dilacerationem pulcerrimæ politiæ. Quoties illacrymat Christus, loquens de discordijs & seditionibus gentis & vrbis excidio. Quamquam igitur illa ciuilia officia & norant optime, & maxime amabant Prophetæ & Apostoli: tamen cogebantur diuino mandato belligerari cum regno diaboli, proponere cælestem doctrinam, colligere Deo Ecclesiam, & seruire salutis æternæ multorum hominum. Hæc sunt primæ leges anteferendæ cæteris omnibus, Non habebis Deos alienos. Non vsurpabis nomen Dei vane. Item de filio Dei: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. His legibus necesse est obtemperare, necesse est veram de Deo doctrinam, veros cultus amplecti, & fugere errores contumeliosos in Deum, vel si fractus illabatur orbis. Nulla res humana his Dei mandatis anteferenda est, non vita nostra, non amici, non ciuium concordia.

Moyse vir sapientissimus, & haud dubie politicus, imponit tribui

tribus Leuiticæ munus docendi, ac sciens qualia sint doctorum certamina & pericula, præmonet de eo, quod iudicabat esse difficilimum & iubet anteferri defensionem veræ doctrinæ. Sic enim ait Deut. 31. Hi custodient eloquium tuum, qui parentes, liberos, fratres obliuiscuntur.

Experimur & ipsi non leue onus impositum esse docentibus, scatur in nostros multis locis. Nos ipsi duriter premimur, Ipsa etiam patriæ discordia nobis ingentem dolorem affert. Sed vt dictum est, necesse est his magnis incommodis anteferre mandatum Dei, de vera doctrina amplectenda, & abijciendis erroribus. Nec nobis ignota sunt ea, quæ à prudentibus de legum mutationibus scripta sunt. Meminimus illam Platonis vocem, vt delirantium parentum, ita desipientis patriæ mores ferendos esse. Sed hæc præcepta suas metas habent, Ferenda est seruitus sine impieate, Non probanda est Idolomania, non Euangelij lumen extinguendum.

Deinde cur nobis aduersarij nostri concionantur de hac moderatione, cum ipsi interim ciues & membra Christi interficiant. Facile possent satire concordiam, & ordinis autoritatem tueri, si vitiosos cultus & intultas leges abolerent. Nunc dimicant non de Ecclesiæ salute, sed de suis opibus & voluptatibus. Nolunt reprehendi ἰδωλομανίας in Missa & inuocatione mortuorum, quia nolunt diminui quæstum, defendunt vagas libidines, quia coelibatus est vilis retinendis opibus. Hæc nemo non videt. Quare illas Senatorias conciones omittant, in quibus, vt verbis vtat Poëtæ veteris, σιμνοῖς λόγοισιν αἰσχρὰ μηχανώμενοι, specioso prætextu, non toleranda flagitia confirmare student.

Adjicio & alteram defensionis nostræ partem veram & simplicem. Non facimus ἀναρχίαν. Docemus maxime venerandum esse ministerium Euangelij, & obædientiam ei deberi, in his, quæ iuxta Euangelium propria sunt eius ministerij. Impius & execrandus est, qui speciosos pedes euangelizantium pacem, non reuerenter excipit, Deinde & politica potestas, quæ gladium gerit, ornata est nostris literis. Itaq; de Anarchia, falsum crimen est.

Nunc venio ad quæstionem propositam de legibus Episcoporum, de quibus primum tenenda est regula certissima, quod nemini liceat condere leges pugnantes cum mandatis Dei: Nota est enim Pauli sententia: Si angelus cælestis aliud Euangelium doceat, anathema sit. Ex hoc fundamento, quod firmum & immotum est, facile extrui cætera possunt. Iam tres ordines sunt decretorum Pontificiorum, Quædam decreta cogunt peccare, vt lex de coelibatu, leges de priuatis Missis, in quibus fit oblatio & applicatio pro viuus & mor-

tuis, & opinio transubstantiationis vitiosam adorationem parit, mandata de inuocatione mortuorum. De his legibus facile est iudicium, quia enim aperte pugnant cum mandatis Dei, regula sequenda est Apollolorum: Oportet Deo magis obœdire quam hominibus.

Secundus ordo est rituum, qui de rebus sua natura medijs loquuntur, vt sunt leges de ciborum & dierum discrimine, & similibus rebus, Cum his rebus adduntur opiniones falsæ, non iam sunt media. Assuunt autem aduersarij, alij magis, alij minus. abiurdas opiniones, falsas tamen, propter quas & leges illæ & ritus abijcendi sunt, ne confirmetur vitiosus cultus. Plurimi fingunt opera humanarum traditionum, vt satisfactiones & similia, mereri remissionem peccatorum. Hæc opinio aperte falsa est, transfert enim beneficium Christi in humanas ceremonias, Nec opus est longa refutatione, vt Pauli fulmine contenti simus: *Enacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, excidistis à Christo.* Hæc sententia satis docet, homines non mereri remissionem peccatorum proprijs operibus vel diuinae legis, vel traditionum humanarum.

Alij admoniti, quantum primus hic error habeat absurditatis, incipiunt verecundius loqui de traditionibus, sed tamen errorem non tolerandum retinent, dicunt hæc opera, etsi non merentur remissionem peccatorum, tamen esse cultus Dei, id est, opera, quorum finis sit immediatus, vt per ea Deus honore afficiatur. Acerrime resistendum est & huic errori, Christus enim aperte dicit: *Frustra colunt me mandatis hominum.* Et Paulus expresse damnat *Ἰδεο δεκονεῖας* ad Colossen. Et cum oporteat cultus Dei in fide fieri, necesse est nos habere Dei verbum, quod testetur opus Deo placere. Quomodo enim potest conscientia Deo offerre opus, si non extat vox Dei, quæ ostendat Deum sic velle coli, velle hoc honore affici? Sed hanc de fide doctrinam, impij homines non intelligentes, omnibus seculis horrenda audacia finxerunt cultus, sine mandato & verbo Dei, quod si fieri licet, non potest dici causa, cur non placeant Deo, Ethnica sacrificia, mactationes canum, hostia lampfacenæ, & alia portenta. Quo ruit humana audacia, non solum apud Ethnicos in fingendis cultibus, sed etiam in Pontificio cœtu, excogitatis subinde nouis & absurdis ceremonijs, in inuocatione mortuorum, in veneratione sanctorum, in Monachorum *βαττολογία*? Simus igitur vigilantes hoc loco, nec sinamus Ecclesijs obrudi leges, quæ proponunt opera sine mandato Dei, tanquam cultus & iusticias. Et cum hanc de cultibus opinionem assuant omnes aduersarij, etiam qui verecundissime loquuntur, sciamus pium opus esse reclamare & violatione talium traditionum exemplum ostendere, ex quo pij discant, quid

quid sentiendum sit. Sicut de Attalo scribit Eusebius, diuinitus iustum esse, vt alteri cuidam diceret vescenti tantum pane, sale & aqua, vt cibis communibus vteretur, ne alijs errorem offonderet.

Porro hic secundus error, de cultu, late vagatus est. Multi enim in Ecclesia decepti sunt κακοῦς λόγῳ Leuitarum ceremoniarum, ac putauerunt in nouo Testamento oportere similes aliquos ritus esse, & hos esse cultus Dei, seu res per quas velit Deus se honore affici, & iustitias esse. Ideoq; tribuerunt Episcopis autoritatem, tales ritus & cultus instituenti. Hunc Pharisaicum errorem Christus & Apostoli taxauerunt, qui docent cultus in nouo Testamento esse poenitentiam, timorem Dei, fidem, & opera decalogi, vt Paulus inquit: Regnum Dei non est esca & potus, sed iusticia & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Qui enim in his seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. Monachi se Nazareos esse fingebant. Sacrificuli pro mortuis sacrificantes, fingebant se imitari Aaionem offerentem. Sed hęc exempla non conueniunt. Monachorum ritus, & venditæ sacrificulorum Missæ nullum habent verbum Dei, imo admittæ sunt multa absurda opinionēs, quas in Ecclesia taxari necesse est.

Tertius error est opinio necessitatis, qua imaginantur, Ecclesiam esse similem ceteris politicis humanis, cogitant regnum esse, in quo Episcopi vt Reges, potestatem habeant condendi leges nouas, extra Euangelium, & his necessario obediendum esse, sicut Regum legibus necessario obediendum est, præsertim cum hæc vita hominum carere ceremonijs non possit. Et hæc opinio necessitatis, sæpe excitauit certamina, dum suos quisq; ritus humanos, tanquam necessarios defendit. Sed Christus & Apostoli docent tales ritus, sine mandato Dei propositos, non habendos esse pro rebus necessarijs. Contra hanc libertatem sancitam & constitutam autoritate diuina, non est recipienda opinio, quod violatio traditionum mediarum, extra casum scandali, sit peccatum. Huc pertinet dictum Pauli: Nemo vos iudicet in cibo, potu, vicibus diei festi, &c. Nam iudicare, significat obligare conscientias, & damnare non obtemperantes. Item ad Galatas 5. Statè in libertate, qua Christus vos liberauit, &c.

Hactenus dictum est, quatenus non liceat, aut condere traditiones, aut approbare. Quærat igitur aliquis, an vitam hanc hominum, sine ordinae, sine ritibus esse velimus? Nequaquam. Sed docemus pastores veros Ecclesiarum, posse in Ecclesijs suis publicos ritus instituire, sed tantum ad finem corporalem, hoc est, boni ordinis causa, videlicet ritus viles ad docendam multitudinem, vt certos dies, certas lectiones, & si qua sunt similia, sed sine superstitione, & sine opinione necessitatis, vt aute dictum est. Et has ordinationes violare,

violare, extra casum scandali, non ducatur esse peccatum, Sed si extra scandalo violentur, vbi Ecclesiæ recte constitutæ sunt, nec error est in doctrina, Sciat violans tali loco se peccare, quia Ecclesiæ recte constitutæ tranquillitatem perturbat, aut alios à vero ministerio abducit. Hæc ratio satis munit autoritatem vtilium traditionum, & non iniicit laqueum conscientijs.

Sic Ecclesiæ initio certos dies ordinavit, diem Dominicum, Natalem Christi, Pascha, Pentecosten, &c. Nec dispensavit Ecclesiæ de Decalogo, sed autoritas diuina ceremonias legis Mosaicæ abrogavit, & tamen populum scire oportet, quando conueniendum sit ad Euangelium & ad Christi ceremonias. Ideo aliqui dies constituti sunt, sine illis opinionibus, de quibus supra diximus. Ac manet in decalogo genus, vt aliquibus temporibus conueniamus ad hæc pueri exercitia, Species vero quæ erat ceremonia, libera est. Ideo non retinuerunt Apostoli septimum diem, sed maluerunt vti primo, vt & de libertate, & de resurrectione Christi, pios admonerent.

Ea quæ obijciuntur, facile dilui possunt. Apostolorum decretum de Idolothytis & scortatione, est mortale & perpetuum. Quod autem addiderunt de sanguine & suffocato, scandali ratio eo tempore habita est. Nam mos erat etiam ante Apostolos, vt domiti à ludæis abstinerent à sanguine & suffocato, Nihil igitur noui, adiunctis ad societatem suam imponebant, sed vsitatum ritum veterem & gratum vtrisque, Iudæis pijs & socijs, nondum mutarunt.

Quod Christus ait: Adhuc multa vobis dicere habeo, certe non de inutilibus ceremonijs Pontificum intellexit, nec de nouis articulis fidei, sed de eo ipso Euangelio illustrando, quod iam tradiderat. Ideo postea addit de officio Spiritus sancti, non allaturum esse aliud doctrinæ genus, sed luce sua persufurum mentes Apostolorum, vt Euangelium de voluntate Dei iam traditum intelligerent. Ideo ait Ioannis 14. Ille vos docebit omnia, & rediget vobis in memoriam omnia quæ dixi vobis. Item: Non loquetur à seipso, sed quæ audiuit, loquetur.

Obijciuntur & alia dicta, quæ præcipiunt de obedientia: Obœdite prapostis vestris. Toties respondimus maxime necessariam esse obedientiam in ijs, quæ propria sunt ministerij diuinitus mandati. Nam hæc dicta non constituunt Episcopis regnum extra Euangelium. Christus dedit eis certa mandata, his iubet nos parere. Deinde etiam prohibuit institui novos cultus, his vetat parere. Metæ sunt constitutæ, intra quas & autoritas Pastorum, & nostra obedientia consistere debet. Sed has metas audacissime tollunt Episcopi, qui triplicem sibi arrogunt potestatem, qua confirmant perniciosissimos errores, videlicet, Regiam seu prætorialem potestatem inter-

pretanda

pretandæ scripturæ: deinde potestatem instituendi cultus: tertio, Regiam potestatem ferendarum legum. Ita transformant Ecclesiam in humanam politiam. Imaginantur, vt in regno Princeps aut prætor est legis interpret, & vt princeps habet potestatem ferendæ nouæ legis: Ita in Ecclesia oportere similem esse Episcoporum potestatem. Nec volunt Ecclesiam mutis literis, vt dicunt, Prophetarum & Apostolorum gubernari, quæ cum interdum non satis explicent ea, quæ proponunt, ambiguitas parit dissensiones ac discordias. Contendunt igitur, opus esse voce regia seu prætoria, scriptum ambiguum interpretante, Et nisi huic interpretationi necessario parendum esset, nullum fore controuersarum & dissidiorum finem. Item, Nisi pro temporum ratione leges condere possent, qualis esset *ἡ ἑσθλα*? Hæc verbis ornantur, & sunt *ἡ δαυα*, quia sunt imitatio humanarum politiarum, Et hæc imaginationes omnibus ætatibus, inde vsq; ab initio mundi nocuerunt Ecclesiæ, & semper nocebunt. Ideo pij admonendi sunt, ne his præstigijs capiuntur, Deus vult Ecclesiam regi suo verbo tradito per Christum & Apostolos, & hanc suam vocem vult sonare per ministros. Et quanquam sapientiam continet, postquam extra conspectum rationis, tamen ipse sermo Propheticus & Apostolicus certus est & non ambiguus, Ideo ait Petrus, Recte facitis attendentes sermone Prophetico, tanquam lucernæ in tenebris. Habet etiam Ecclesia donum interpretationis, id est, intellectum cœlestis doctrinæ, sed id donum non est alligatum ad Episcoporum titulum aut ordinem: ideo nequaquam est potestas interpretandi, similis regis & prætoris, Sed eruditi in verbo Dei, & rehati Spiritu sancto vbicunq; sunt, assentiuntur verbo Dei, & id intelligunt alij magis, alij minus. Ergo prudenter de illis vallis pontificiæ potentis iudicandum est. De legibus breuiter dicit Petrus, Quid tentatis Deum, imponentes iugum, &c.

Hoc in loco reperimus aliam editionem subijcere Epilogum, huius verbis.

E P I L O G V S.

¶ Hi sunt præcipui articuli, qui videntur habere controuersiam, quanquam enim de pluribus abusus dici poterat, tamen vt fugeremus prolixitatem, præcipua complexi sumus, ex quibus cætera facile iudicari possunt. Magnæ querelæ fuerunt de indulgentijs, de peregrinationibus, de abusu excommunicationis. Parochiæ multipliciter vexabantur per stationarios. Infinitæ contentiones erant pastoribus cū Monachis de iure parochiali, de confessionibus, de sepulturis, de extraordinarijs concionibus, & de alijs innumerabilibus rebus.

Huius-

Huiusmodi negotia prætermisimus, ut illa quæ sunt in hac causa præcipua breuiter proposita, facilius cognosci possent. Neque hic quicquam ad vilius contumeliam dictum aut collectum est. Tantum ea recitata sunt, quæ videbantur necessario dicenda esse, ut intelligi possit in doctrina ac ceremonijs, apud nos nihil esse receptum contra scripturam aut Ecclesiam Catholicam, quia manifestum est nos diligentissime cauisse, ne qua noua & impia dogmata in Ecclesijs nostras serperent.

Hos articulos supra scriptos volumus exhibere iuxta editam C. M. in quibus confessio nostra extaret, & eorum qui apud nos de cent. doctrinæ summa cerneretur. Si quid in hac confessione desiderabitur, parati sumus latiore informationem, Deo volente, iuxta scripturas exhibere.)

Nostra editio sic habet.

Complexi sumus summam doctrinæ Euangelicæ necessarias Ecclesijs, Nec dubitamus has ipsas sententias nostras vere esse doctrinam, in scriptis Prophetis & Apostolicis traditam, & confessionem catholicæ Ecclesiæ Christi, cui etiam eruditiores scriptores ecclesiastici, testimonium sæpe perhibent. Ac offerimus nos ad explicationem longiorem, vbicunq; opus erit. Oramus autem

Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut ipse Ecclesiam suam, sanguine Filij redemptam, gubernet, seruet, purget, & augeat.

A M E N.

Cæsare Maiest. V.

Fideles & subditi

Iohannes Dux Saxonie Elector.
Georgius Marchio Brandenburgensis.
Ernestus Dux Luneburgensis.
Philippus Landgrauus Hessorum.
Iohannes Fridericus Dux Saxonie.
Franciscus Dux Luneburgensis.
Vvolfgangus Princeps ab Anhalt.
Senatus Magistratusque Nurnbergenfis.
Senatus Reutlingenfis.

A POLO